

✠

D

episcopi

sunt omnes et

non sicut in quatuor alle

ut in ore eorum omnia in

ta ut novum sanctificationis sa



ou

nicht im Ab

10
in

U. g. 17, 9

DISPUTATIO JURIDICA 9
DE
IGNORANTIA,
QUAM
AUXILIANTE DIVINO NUMINE,
CONSENTIENTE

*Magnifico & Nobilissimo Jctorum Ordine
in incluta Sabana,*

PRÆSIDENTE
VIRO

Amplissimo, Consultissimo, Excellentissimo

DN. ERNESTO FRIDERI-
CO SCHRÖTERO, J. U. D. Celeberrimo, Curia
Provincialis Saxonica Advocato dignissimo, Præceptore, Pa-
trono & Hospite suo omni observantia cultu æter-
nùm prosequendo,

Publicè ventilandam proponit

FRIDERICUS ERNESTUS Knorr/
Hal. Sax.

In Auditorio Jctorum

Ad diem Julii.

J E N Æ

LITERIS STEINMANNIANIS

Excudebat CHRISTIANUS LAURENTIUS Kempff.

ANNO 1652.

IGNONIA

DE...
...
...

SE...
...

...
...
...





JOVA JUVA!

Cum benè & competenter singula gerantur, sè
principium fiat decens & amabile DEO. Imp.
Just. Nov. 6. in pr. ejusq; auxilium semper invo-
candum Nov. 85. in pr. ideò & Te, Summe DEUS,
primùm humillimâ mente veneror, ut ignorantia
mea nebulas depellas, radiisq; Spiritus tui mentem
illumines, quò hoc quicquid est exercitii in Nominis
tui gloriam, Reipubl. literarie commodum, no-
stramq; utilitatem suscipiatur & terminetur!

Sit ergò Thesis I.

Cum teste Ulpiano in l. 1. ff. de reb. cred. è re
sit, prius quàm ad verborum interpretationem
perveniamus, pauca de ipsius tituli significatio-
ne referre; ideò & nos ejus admonitioni insti-
tentes, vocabulum ignorantia à verbo ignoro
i. e. nescio, deducimus, quod quandoq; metony-
micè pro errore l. 5. ff. de Jur. & Fact. ign. & contra promiscuè usur-
patur; quia ut effectus pro causa, & contra causa pro effectu po-
natur, rarum non est in nostro sermone. Hen. Remem. de princ.
Jurispr. diss. 20. th. 26. lit. E. Non autem illis subscribimus, qui
errorem cum ignorantia non sine magno errore confundunt, a-
deò ut hic juris, illa autem facti sit l. 2. ff. h. t. l. 32. §. 1. ff. de usucap.
Cum enim error etiam sit facti l. 1. §. 10. ff. de aqua quor. & igno-
rantia etiam juris l. 4. ff. h. n. t. ideò illam ab errore qualitate ma-
gis quàm re ipsa rectè distinguit Vultejus in J. R. c. 7. nu. 46. in not.

A 2

Quod

Quod etiam ex definitione *Menochij lib. 6. pras. c. 23. nu. 1. 2. & 3.* patet, qui statuit, errorem esse tantum perversum iudicium de re aliqua (cum è contra ignorantia est simplex scientia privatio, atque ideo plus est ignorare quam errare) præsupponens actum cognitionis alicujus & aliquam rei scientiam, sed non veram pro vera; brevius *Donell. Enucl. lib. 1. com. 7. C. c. 19.* error est falsa opinio ex ignorantia contracta, vid. *Seb. Med. iv. de cas. fort. p. 1. q. 2. num. 10.* docent hoc etiam collati § 5. & 10. *l. ult. ff. de public.* Conveniunt tamen quàm maximè error & ignorantia in his, ut sicuti ignorans possessionem non amittit *l. 46. ff. de Acq. vel amitt. poss.* ita nec errans *l. 35. ff. de A. R. D.* sicut ignorita error consensui contrarius *l. 2. pr. ff. de judic. l. 57. ff. de O. & A.* unde confessio ex errore nulla *l. 3. C. b. n. r.* item dictum testis *l. 3. ff. de test. & sententia per errorem lata Marant. de Ord. Jud. 4. part. 16. dist. num. 50.* Sed commodè hic quæritur an error etiam in aliquo actu commissus præsumatur? Resp. regulariter quod non, quia (1.) error continet in se culpam & negligentiam quandam, si à perito est commissus, culpa autem & negligentia non præsumitur. *Gilbauf. de pras. §. 125 num. 1.* (2.) quia vitium erroris est quid facti, quod non præsumitur. Et hæc præsumptio potissimum obtinet, quando actus celebratus fuit à perito & diligenti: sicuti error commissus non præsumitur in instrumento circa ea, quæ ad notarii officium pertinent, nisi contrariæ conjecturæ & demonstrationes hoc elidant. *Menoch. lib. 6. pras. 22. Zang. de except. p. 3. c. 13. num. 137.* Aliàs ad probandum errorem in testamento vel legatis quoad substantiã commissum, tot requiruntur testes, quot intervenerunt, quoad qualitates verò & solennitates extrinsecas duo sufficiunt. *Mynf. cent. 4. obs. 98. Guid. dec. 773. n. 1.* Differt etiam ab ignorantia dubitatio, licet sapius dubius & nescius in jure æquiparentur, ut in *l. 22. §. 2. C. de furi.* cum dubitare sit medium inter scire & ignorare, & neque in hanc neque in illam partem inclinare, ex qua inclinatione aliàs consurgit opinio. *Rennem. de prin. Jurp. dist. 20. ib. 28.* Quoad Synonymiam ignorantia interdum dicitur inscientia *l. 25. §. fin. ff. de judic. l. 23. C. locat. inciticia c. 3. dist. 38. imperitia l. 8. §. 1. ff. qui satisd. cog. ignorantia l. 17. ff. de his que ut indign. l. 55. ff. de adl. edict. l. 11. ff. de divers. rem.*

II. Præ-

II. Prælibatis hisce generalibus ad definitionem nos accingimus; Definitur autem, seu ut mavis describitur, ignorantia in genere, Scientiæ privatio, nullum notitiæ vel cognitionis actum ponens, *Menoch. lib. 6. præf. 23. n. 5. 6. & 7.* quæ ita æstimanda, ut neque scrupulosa inquisitio & curiositas requiratur *l. 5. 6. ff. b. n. t.* neque supina incuria & negligentia excuset. *Alib. in decal. libr. 1. cap. 11. num. 16.*

III. Definitionem sequitur divisio, dividitur verò Ignorantia in Ign. Juris & Facti; Juris subdividitur in juris Naturalis & Positivi; Ign. facti in Proprii & Alieni; de quibus speciebus cum distinctim tum conjunctim sequentibus acturi sumus.

IV. Progredimur primùm ad ignorantiam Facti, quia priùs facta ex quibus jus promanat nosse convenit. *Wesembec. in comm. ad b. n. t. nu. 3.* Est autem ignorantia Facti; quando quod in casu vel natura contingenter positum est, accidisse ignoratur; ut si quis nesciat decessisse eum, cujus bonorum possessio deferretur *l. 1. §. 1. ff. b. t.* Et hæc est vel facti proprii vel alieni; Facti proprii, quando quis nescit quid fecerit vel faciat *l. 5. b. t.* ut si quis nec testamenti, nec hæredis à se scripti scientiam habere dicat; item se propriam ætatem & nomen ignorare *l. ult. C. de hered. inst. ex qua stultus quis præsumitur d. l. ult. vel vires & valorem proprii patrimonii l. 15. C. de rescind. vend.* nisi patrimonium ex successione noviter sit acquisitum, vel admodum amplum, quod notat *Bald. in l. 2. C. de resc. vend.* præsumitur autem quis tunc ignorasse valorem rei propriæ, quando læsio adest enormissima *Gl. in l. 16. C. d. t. Menoch. lib. 6. præf. 23. nu. 36.* Dicitur aliàs hæc ignorantia vincibilis, seu cujus principium in nobis est, & quam adhibitâ diligentia superare possumus. *Nobiliss. Dn. E. Struv. Patronus meus æviternum venerandus in disp. de damnis tb. 63. & Exer. Pandect. 22. tb. 15.* nec unquam præsumitur, sed est culpæ proxima, & planè intolerabilis *l. 7. ad SCT. Vell. l. 3. l. 6. ff. b. n. t. Modest. Pistor. lib. 1. conf. 42. nu. 10.* quia nescire quid gesseris, non est ignorantis, sed planè stulti & deperditi hominis *l. 3. l. 6. ff. b. n. t.* stulta autem & supina ignorantia excusationem nullam meretur.

V. Occurrunt verò quandoq; tales circumstantiæ, quæ etiam in facto proprio ignorantia præsumptionem inducunt,

excusationemq; aliquam suadent, ut (1) quando non de lucro, sed de damno vitando, & quidem absque alterius injuriâ, certatur e. g. si errore aliquo indebitum sit solutum *l. 22. ff. de cond. indeb. Magn. D. Carpz. p. 2. con. 28. def. 1. nu. 5.* (2) si factum propriû valde intricatum, ut est calculus rationum reddendarum *l. 47. §. 1. ff. de pact. l. 7. ibi computatio difficilior ff. de confess. Gail. 2. obs. 48. num. 20.* (3) Si factum proprium est antiquum; ex temporis enim diuturnitate ignorantia præsumitur, vel persona confecta senectute, quæ alias memoriæ imbecillitatem inducit *Seb. Medic. de cas. fort. p. 2. q. 5. n. 49 & seq.* limita tamen, nisi illud factum sit grave & notabile, *cum illorum in fin. de sent. excom.* alteri obligatorium *l. 12. C. de contr. stipul. juramento confirmatum Mascard. de probat. v. 2. con. 879. nu. 41. 42.* vel sit de lucro captando, vel tale quod quotidie contingat. *Mascard. d. l. nu. 47.* tunc neq; ex longinquitate temporis præsumitur, nec toleratur ignorantia. (4) Si factum proprium non per se, sed per filium vel procuratorem fuit tractatum; nisi vel sit grave & cum magna impensa, vel specialiter constitutus procurator, tunc ab ipso Dominus prius certior factus præsumitur *Menoch. lib. 6. præf. 23. n. 45. & 46.* (5) Si quis negotiorum multitudine est implicatus, ut facile aliquis oblivio obrepere potuerit *Zang. de except. p. 3. c. 2. n. 47.* hinc officialis & iudex ordinarius præsumitur. *Bar. in l. quod iussit, n. 21. ff. de re judic.* cum divinitatis potius, quam humanitatis sit omnium habere memoriâ. *l. 2. §. 14. C. de vet. jur. enucl.* vel variis & dispersis fortunis instructus, ut minima quæque recordari non possit *Wesemb. in com. adh. i. n. 3.* (6) Si quis inductus fuit facto vel persuasione alterius, & si quid damni ex dolosa persuasione accessit, de dolo malo in eum competit iudicium *l. 10. §. 1. l. 31. ff. de dol. mal.* (7) In actibus morientium, quia humana fragilitas mortis cogitatione perturbata minus res plures memoria consequi potest *l. 8. §. at cum C. qui testam. fac. poss.* ex gr. si quis alteri rem obligaverat, deinde moriturus alteri legavit *l. 57. ff. de legat. 1.* tunc propter hanc præsumptionem non hæres, sed legatarius redimere tenetur *d. l. 57.* nisi (1) solutâ quantitate nihil superfluum esset, & sic legatum non contineret utilitatē (2) nisi legatum conjunctæ personæ cui verisimiliter, si scivisset,

visset, aliam rem æque bonam fuisset relicturus *d. l. 17. ff. de legat. 1.*
Nam tunc onus luendi, etiamsi testator ignoravit rem fuisse al-
teri obligatam, ad hæredem spectat. *Schneid. ad §. 5. J. de legat.*

VI. Consideratam ignorantiam facti proprii excipit Fa-
cti Alieni, quando quis nescit, quid alius fecerit, vel faciat *Me-
noch. l. b. 6. præf. 23. n. 51. & seq. c. gr. si hæres petenti cuiquam rem
defuncto pignori datam, nescius oppignorationis, reddat; Et
hæc est invincibilis i. e. talis, quâ ignoramus ea, quæ adhibito li-
cet studio, quod à nobis exigitur, scire vel non poteramus, vel
non tenebamur. Nob. Dn. D. Struv. disp. de dam. tb. 63. add. l. 29. §. 2.
ff. mand. quoad omnes personas probabilis l. fin. ff. pro suo c. ignor.
de R. J. in 6. nec in damno evitando, nec in lucro captando obest
l. 9. §. sed & facti ff. b. n. t. Ratio autem (1.) hæc est, quia in rebus a-
lienis non tantum neminem curiosum esse decet, sed & magno
vitio vertitur, si quis in aliena facta scrupulosè inquirat l. 6. b. t.
& culpa est immiscere se rei ad se non pertinenti l. 36. ff. de R. J.
nec etiam quis factum alienû divinare tenetur l. 31. ff. ad L. Aquil.
(2) quia facta infinita, recondita, & ut plurimum in singularibus
consistunt *Cujac. 5. obs. 39. in fin.* adeo ut facti alieni interpretatio
etiam prudentissimos fallat l. 2. ff. b. t. Hæc autem ignorantia
regulariter præsumitur, nisi probetur scientia *c. præsumitur de
R. J. in 6.* quod verum, si allegata sit in iudicio, imprimis si quis
intentionem suam in ea fundat, aliàs secus *Gail. 2. obs. 48. n. 14.**

VII. Hanc facti alieni ignorantiam declarabimus porrò
per exempla, quorum quædam respectum ad actus inter vivos,
quædam ad ultimas voluntates habent. Illorum (1.) hoc est.
Emphyteuta non solvens canonem intra biennium jure suo non
cadit, si ignoravit prædium esse emphyteuticum *Gail. 2. obs. 48.
num. 4.* (2) Vasallus justè & probabiliter ignorans rem feuda-
lem esse, propter non reperta investitura instrumenta, vel domi-
nium mortuum esse, utpote si in longinquis regionibus degat, ut
mors domini ad ejus notitiam tam citò pervenire nequeat *Per-
lich. p. 2. con. 53. n. 38.* ob non petitam intra tempus anni & diei
investituræ renovationem feudo non privatur *conf. Rosenth. Syn.
feud. c. 6. con. 47.* quia ignorans dominum contemnere non vi-
detur *arg. l. 50. ff. locat.* Præsumitur autem vasallus potius igno-
rante

rasse casum, quam dolo investiturae petitionem omisisse; adeoq; scivisse vasallum, domino incumbit probare. *Nob. Dn. D. Struv. exerc. feud. 10. ib. 9.* Sed nec dominus denuò investituram renovans, si feudum commissum esse ignoraverit, sibi praedjudicat, cum ignorans juri suo renunciare non praesumatur *l. 19. ff. de inoff. test. Carpz. lib. 6. t. 8. resp. 84. n. 18.* Quod de investitura modo dictum, obtinet etiam in vasallo, inscio domino vel alienante vel abnegante feudum ob justam ignorantiam, qua juvatur, si hoc in successione haereditaria sit repertum, ut à privatione excusetur *Excell. D. Praef. in not. ad 2. feud. tit. 26. Rosentb. dist. tract. cap. 9. concl. 6. & c. 10. concl. 23. num. 3.*

VIII. Q. hic An ignoranti currat praescriptio, & an adversus eam restitutio in integrum detur? Resp. dist. inter praescriptionem decennalem, vicennalem, tricennalem & quadragenariam, quae ignoranti absque ulla restitutione in integrum currit *l. ult. C. de praeser. long. temp. l. ult. C. de fund. patr. l. un. C. de usuc. transfor. & inter annalem, & quae minori spatio quam decem annis finitur, in qua cum Berlich. p. 2. con. 20 n. 9. & 12. contrarium statuimus, add. Fach. lib. 1. C. 7. c. 69. Diff. Zang. de Exc. p. 3. cap. 10 n. 226. & se.* Et haec annalis praescriptio geradam & res expeditorias ex ignorantia facti non petenti, neutiquam nocet, quia fieri non potest, ut quis de jure, quod sibi competere ignorat, experiatur *l. 55. ff. de edil. edit. Goldb. de jur. Gerad. c. 9. nu. 33. Carpz. p. 2. con. 3. d. 13.* Multo minus tempus annale juri protimyseos indulgunt ignorantiam (cum sit utile) praedjudicat. *Carpzor. p. 2. con. 32. d. 6.* nisi vicinitas praedii ignorantiam elidat, quo casu vicino retrahenti, scientiamq; neganti, imponi potest juramentum. *Magn. Dn. D. Richter. praeceptor & patronus meus aviternum colendus p. 2. dec. 76. n. 150.* Quod dictum de tempore annali, illud ad brevius etiam extenditur. Sic (1.) ignoranti non currunt tempora petitionis bonorum possessionis *l. 5. C. qui admitt. ad bon. poss.* Sed non inconcinne hic quaeritur: an ignoranti possessio etiam acquiri possit? Resp. Aff. & quidem (1.) patri à filio ex causa peculiari i. e. rebus ut peculium profectitium à patre filio concessis *l. 1. §. 5 ff. de Acquir. vel am. poss.* (2.) furioso & infanti à tutoribus & curatoribus *l. 32. §. 2. ff. eod. t. l. 1. §. 3. eod.* (3) domino à pro-

à procuratore sive speciale sive generale mandatum cum libera habente l. 34. §. 1. l. 49. §. 2. ff. d. t. vid. *Schneid. ad § 5. 7. de interd. dict. n. 137. 139. § 145.* (2.) Nec ignorantiam sententiam contra se latam tempus appellandi, nisi per procuratorem sit defensio l. 1. §. ult. ff. *quand. appell.* An autem contra ignorantem sententia lata firmitatem obtineat quæ? Resp. aut ignorans, cum cognovit, appellavit, aut non, priori casu valet, posteriori hoc prætextu rescindi non potest l. 3. C. *quand. & quomod. jud. sent. Et c.* quia non appellans censetur ei acquiescisse. (3.) Nec ignorans tutoris se datum, etiam si 50. dies appellandi elapsi, læditur l. 6. C. *de excuss. tut. l. 5. C. de pe. tut.* In summa, tempus restitutionis in integrum ignorantibus non labitur, etiam si quadraginta, vel centum vel mille anni post læsionem effluxi, quia utile est, atque tempore scientiæ demum currit, & hanc ignorantiam rationabilem restitutionis in integrum causam vocat *Berlich. p. 2. dec. aur. 218. n. 6. & seq.* petiturque ex clausula illa generali, si qua mihi iusta causa videbitur l. 1. §. *fin. ff. ex quib. caus. maj. Et c.*

I X. (III) Emtor licet vitium rei emtæ, vel eam furto vram esse ignoraverit, attamen verò domino, rem illam furto sibi subtractam fuisse prius probanti, absque refusione pretii restituere tenetur *Berlich p. 5. con. 45. num. 17.* & hoc casu emtori ignorantiam alleganti, non statim creditur, sed scientia potius, in eo imprimis, qui malæ famæ est, vel clam, vel parvo pretio, vel sæpè etiam huiusmodi res emit, præsumitur *Magn. Dn. D. Richt. p. 2. d. 96. num. 8. & 9.* Ut autem talis emtor se à poena iudicis arbitraria liberare possit, ignorantiam suam juramento confirmet, necesse est. *Carpzov. p. 4. con. 40. d. 8.* Item Venditor licet ignorans emtori rem vitiosam vendiderit, attamen ad restitutionem pretii tenetur l. 1. §. 2. ff. *de edil. edict.* ignorantiam enim venditoris, damnum emtoris non minuit *Casrenf. ad l. 13. ff. de act. emt.* & licet *Caball. cap. 2. num. 18. § 19. de edil. act.* inter justam & injustam venditoris ignorantiam distinguat, post *Gloss.* tamen illam distinctionem explodit *Col. p. 2. dec. 228. num. 4.* In hoc verò inter venditorem scientem & ignorantem est quædam differentia, quòd emtor ab hoc vitio rei cognito, quanti minoris emisisset, ab illo autem omnia da-

B

ma,

ma, quæ ex emtione sensit, petere possit: vid. *Mag. Dn. D. Richt. p. 2. dec. 91. num. 13. 14.* Ampliatur hoc etiam, quod licet venditor sciens rem vitiosam per expressum pactum se nolle teneri pro vitiis, vendiderit, tamen ab ignorante emtore conveniri potest *Schr. ad. v. 2. conf. 43. num. 81.* quia deceptis, non decipientibus, subveniendum *l. 1. §. 3. ff. ad Sen. Vell.*

X. Ignorans debitum (4) improbus non est. *l. 99. ff. de R. J.* ideo à mora excusatur, ac proinde nec ad usuras, expensas, nec si res interea perierit, ad fortuiti istius casus præstationem tenetur. *Philipp. Matth. in comm. ad R. J. 63. nu. 14.* Cessionarius (5) nomen minus idoneum ignoranter recipiens sibi non præjudicat, sed ad id quod interest agere potest *Mag. Richt. p. 1. dec. 36. num. 29. & 30.* Fidejussor (6) si ignarus solvat, quod à debitore principali solutum erat, actione mandati ab ipso repetere potest, quia reus fidejussorem prius certiorare debuit, ne forte solvat indebitum *l. 29. ff. mand.* Illi (7) qui mutuam pecuniam alicui dedit, & an ad huc filiusfamilias sit, scire non potuit, non obest SCTm. Macedon. *l. 7. §. 2. ff. ad SCT. Maced.* Et hoc casu filiusfamilias probare debet, creditorem scivisse, eum fuisse filiumfamilias *arg. l. 23. C. de probat.* juvatur exinde quoque creditoris ignorantia, si filiusfam. publicè pro patrefam. & quidem per longum tempus, habitus sit *Zang. de except. p. 3. c. 12. num. 27. & seq.* Renuncians (8) per ignorantiam juri & privilegio suo, sibi non præjudicat, quia renunciatio ad ignota non extenditur *l. 19. §. cæterum ff. de inoff. testam.* Unde si notarii in contractibus rusticorum vel mulierum adjiciunt clausulas, quas verisimiliter non intelligunt, parti læsæ ad damnum & interesse tenentur *Gail. 2. obs. 77.* Si quis (9) ignorans virginem morbo fontico laborantem sibi ad sociat, matrimonium declaratur nullum, quod verum, si ab initio hi defectus adfuerunt, secus si ex postfacto supervenerunt *Nob. Dn. D. Struv. excer. 23. tb. 24.* Eodè modo rescinditur matrimonium, si quis ignorans ab alio compressam vel gravidam, quam virginem esse putabit, duxit, *Carpz. p. 4. con. 20. d. 12.*

XI. Fuerunt exempla respectum ad actus inter vivos habentia, sequuntur nunc illa, quæ ad ultimas voluntates pertinet,

tinent, & horum (1.) est: Si testator alium posthumum igno-
 ranter in testamento præterit, rumpitur illud tam quoad lega-
 ta, quàm fideicommissa *l. 17. ff. de injus. rup. Auth. ex causa. C. de
 liber. præ.* (cùm è contra, si scienter, salva manent legata)
 quia testator ignorans non præsumitur in posthumi præjudi-
 cium quiequam legare voluisse, cùm nemo successiones alien-
 nas propriis anteponere præsumatur *l. 30. C. de fideic. l. 15. ff. de
 inoff. testam.* Estque hæc præsumptio deficientis voluntatis
 tam efficax, ut non subsistat testamentum quoad legata (nisi
 necessaria sunt relicta, ut puta pro restitutione iniquè ablatorù
 & usurarum præstatione, quod singulariter limitat *Gail. 2. obs.
 113. numer. 4.*) etiamsi filius ignoranter præteritus id ratum
 habere vellet; unde nec legata ad pias causas sustinentur.
Gail. d. l. n. 2. nec clausula codicillaris adjecta tale testamentum
 convalidat *l. 1. sub fin. C. de post. hered. inst. Gail. 2. obs. 114. Carpz.
 lib. 6. t. 2. resp. 10. & 11.* Sed quid si pater universaliter filios hæ-
 redes instituat, an intelligatur etiam instituisse filium, quem
 ignorabat se habere, aut mortuum esse credebat *Aff. Gail. 2.
 observ. 113. num. 8. Fach. lib. 4. C. J. cap. 77.* (2) Si testator rem
 alienam ignoranter legavit, legatum nullum est *l. 10. C. de legat.*
 quia magis in legandis suis rebus, quàm in alienis comparan-
 dis, & hæredibus onerandis, faciliores sunt ultimæ volunta-
 tes, ut eleganter dicit *l. 67. §. 8. ff. de legat. 2.* limitatur tamen,
 nisi sit relictum proximæ personæ, cui legaturus esset, etsi sci-
 vissset rem alienam esse *l. 10. C. de leg. vel ad pias causas Andr.
 Tiracquell. de priv. pia. cause priv. 66.* Onus autem probandi
 testatorem scivisse rem alienam esse, legatario incumbit, nisi
 sit præsumptio pro actore, tunc transfertur probatio in reum.
Schneid. in com. ad §. 7. de legat. (3) Hæres si intendit caprare
 lucrum scientiam defuncti continuare præsumitur, non verò
 si de damno vitando agit, ut refert ex *Dyn. in reg. præsumitur
 num. 6. in fin. Mascard. v. 2. de prob. con. 878. num. 36. & 37.* tunc
 enim justam ignorantie causam habere censetur *l. cum quis de
 R. J. in 6. l. 42. ff. de R. J.* Et hæc maximè obtinent, quando is
 in judicio reus est, seu ex facto defuncti convenitur, quia tunc
 præter spem ad judicium trahitur *l. 2. in fin. C. de dilat.* sin autem

hæres actor est, ignorantia prætextu haud juvatur, quia sibi imputet, quod alium judicio, non explorato prius jure defuncti, temerè fatigavit. *Menoch. lib. 2. de A. J. Q. cas. 35. num. 10.* Interdum tamen hæres facti defuncti mero jure non ex æquitate tenetur *l. 49. §. 2. ff. de V. O. & tunc in integr. restituitur ex clausula generali, si qua mihi &c. l. i. §. fin. ff. ex quib. caus. maj.* (4) Si tam hæres quàm emptor fideicommissi gravamen ignoraverit, alienatio irrevocabiliter valet, existente tamen conditione fideicommissario ad æstimationem rei alienatæ contra alienantem succurritur, per tex. exprell. in *l. ult. §. fin. ff. de leg. 2.* (nisi alienans solvendo non sit, tunc in subsidium res alienata vindicari potest *arg. l. 94. §. 1. ff. de legat. 1.* vel res restitutioni subjecta expressè alienari prohibita) & hoc, non obstante *d. l. ult.* tam in fideicommissio universalis, quàm particulari, sive ignorantia ex alterius quàm testatoris facti proveniat, modo justa sit, procedere, notat *Fachin. lib. 5. C. 7. cap. 28. Berlich. p. 2. dec. aur. dec. 276.* (5) Hæres ignorans legatam rem in alios usus convertens à dolo malo, non verò ab æstimatione excusatur *l. 63. ff. de legat. 2.*

XII. De hac facti alieni ignorantia insuper quoq; sciendum, quando nec excuset, neque facile præsumatur. Et quidem (1) non excusat ignorantia crassa & supina *l. 6. ff. b. t. i. c.* quæ vel ex securitate nimia vel negligentia provenit, qualis est facti publici *l. 8. §. 2. ff. b. t. ex. gr. si edicta, decreta ad domum senatoriam, vel valvas templi affigantur, ita ut de illis publicaris vox & fama publica extet, arg. cap. 1. de post. præl. item si denunciationses è suggestu fiant. c. cum in tua. Qui matrimonium accus. summa autem negligentia est ignorare id, quod nullus in civitate ignorat *l. 9. §. 2. ff. b. t. limitat tamen hoc Menoch. lib. 6. præf. 23. num. 68.* nisi habiter quis in aliqua remota civitatis parte, ut tam citò ad ejus notitiam pervenire nequeant, vel sit tunc temporis absens, infirmus, forensis, tenera adhuc ætatis, ut gesta comprehendere non potuerit. *Weßenb. in comm. ad b. t. num. 3.* (2) Ignorantia affectata, seu quando aliquid per simulationem ignoratur, ex. gr. si quis citationis ignorantiam affectat, habetur pro legitime citato *Gail.**

Gail. 2. ofserv. 48. num. 18. Item ignorantia ejus, quod ex inquisitione innotescere potuit, & quod quis ratione officii indagare debuit, uti in electione episcopi, an sit legitime natus prius inquirendum *c. cum in cunctis & c. innotuit circa fin. de elect.* ignorantia verò ejus, quod scire debemus, habetur pro vera scientia *l. 5. ff. de reb. cred.* præsertim cum quis facile certiorari potest, nec tamen quærit certiorari *Decian. lib. 1. resp. 10. nu. 38.* & talem allegans, dolum præsumptum & latam culpam allegat, nisi adhibitam diligentiam de non sciendo ab aliis, probet.

(3) Si quis præsens fuit in facto alieno, vel illud sapius tractarum, scientia enim arguitur ex his quæ communiter fieri solent. *Roland. à Vall. i. con. 19. num. 38. usque ad 44.* vel tendat ad ejus commodum, tunc etiam si absens sit, scire id præsumitur. *Mascard. de probat. v. 2. con. 879. num. 34.* idem dicendum si denunciatio ad domum ejus facta. *num. 35.* vel facta sint nobilium personarum, quæ præ aliis nota præsumuntur *Tiraquell. de nobilit. c. 37. num. 10. vers. nobil. facta.* (4) Si quis propria manu quid subscripserit v. g. obligationem, apocham, vel alicujus rei instrumentum penes se habet; sic quando testamentum ap. filium hæredum reperitur, disposita in eo scire præsumitur *Menoch. lib. 6. præf. 23. num. 74.* Quamvis regulariter filius, non attento, quòd cum patre cohabitaret, & una persona censeatur *l. ult. C. de impub. & aliis subst.* testamentum à patre conditum (nisi tunc temporis fuerit præsens) ignorare præsumatur *Menoch. d. l. num. 65.* quod in omnibus suis & necessariis hæredibus obrinere, statuit *Gail. 2. obs. 137. num. 11.* secus in extraneis. (5) Socius facti socii ad societatem pertinentis ignorantiam allegare non potest *Seb. Medic. de cas. fort. part. 1. qu. 3. num. 36.* Nec tutor rerum pupillarum *l. 1. C. de fals. mon.* quia statim à die aditæ tutelæ vires hæreditatis in inventarium conferendo explorare debet, aliàs ut suspectus cum infamia removetur *l. ult. C. arbit. tut.* nisi res ex justa ignorantia inventario non inserta. *Goshofer. in nor. ad l. ult.* vel nisi testator inventarii confectioem prohibuerit. *d. l. ult. C. arbit. tut.* (6) Non præsumitur ignorantia in consanguineis *l. 37. C. de liber. caus.* (quod tamen de iis factis intelligendum, quæ communiter &

Verissimiliter consanguinei scire solent, ut circa consanguinitatem & factum naturæ, secus in aliis. *Mascard. d. con. 379. numer. 14.*) multò minùs in personis domesticis & antiquis vicinis. *l. 9. C. de nupt. l. 55. ff. locat.* quod iterum in illis actibus, qui verissimiliter per vicinos sciri solent, procedit. ex. gr. an vicinis sit dives vel pauper, bon. famæ, an mortuus, prodigus, vel quando sumus in actibus successivis, secus autem in momentaneis, ut, si contractus in domo vicini celebretur, vel alius actus qui momento expeditur, & qui in occultis committi solet, ut est stuprum, adulterium, quod scire non præsumitur. *Mascard. d. l. num. 15.* Unde nec vicinus, quòd delictum à vicino commissum scire præsumatur, torqueri potest. *Menoeh. libr. 6. præsent. 24.*

XIII. Diximus in præcedentibus de Ignorantia facti, sequitur nunc Juris & quidem (1) NATURALIS (quo venit etiam Jus Gen.) quæ ad prima religionis erga DEUM, charitatis erga proximum principia pertinet, qualia continentur in *l. 1. 2. l. 10. ff. de J. & J. l. 206. ff. de R. J.* & hæc ignorantia planè crassa, affectata, adeoq; latæ culpæ adscribenda *Zaf. lib. 1. sing. resp. c. 2. num. 19.* Qui enim illud ignorat, nescit id quod omnibus hominibus à naturali ratione (unde & à quibusdam jus rationis vocatur *Donell. lib. 1. Com. c. 6. 7.*) ingeneratum, & cujus peritia animalia quoq; censentur *l. 1. §. 3. ff. de J. & J.* Et hæc neminem ætatis mentisq; compotem excusat, sed omnibus adultis damnabilis, ut dicitur in *c. 12. §. item. ignor. caus. 1. qu. 4.* talisq; ignorans, à Deo, lege & ministro ejus Magistratu ignorabitur *37. dist. c. pen. in fin. Spec. 1. de S. Tr. & F. C. lib. 4. n. 4.* Non obest *l. 2. §. 1. ff. si quis in jus voc.* ubi rusticitati hominis, qui in jus citatus fuit (quæ citatio juris naturalis *Job. Papt. Afm. in prax. Jud. §. 1. c. 1. n. 27.*) parcitur. Resp. multa ibi remittitur rustico & imperito homini, qui propter insolentiam rerum forensium an venire deberet & quo, non intellexerit *Donell. lib. 23. C. J. cap. 10.*

XIV. Ignorantia JURIS CIVILIS est stulticia juris *l. 9. §. ult. ff. b. e.* cum quis legem, vel jus ex lege sibi competens, ignorat, quamvis faciat factum, unde jus istud competere possit
Jusf.

Just. Maj. Coll. Arg. h. t. ex. gr. si quis sciat decessisse agnatum, nesciat autem proximitatis nomine possessionem bonorum sibi deferri l. 1. ff. h. t. item si quis de legatis falcidiam detrahi ignoret, is postea eam deducere non valet, maximè si legatum sit civitati l. 9. C. de leg. Falc. l. 9. §. 5. ff. h. t. Si quis novit quem pupillum esse, & nihilominus licite ipsum vendere posse crediderit l. 2. §. 15. ff. pro emtor. rem ab ipso emtam non usucapier, quia juris error nulli prodest l. 4. ff. h. n. t. Sed commodè hic quæritur, An is, qui ignorantia juris lapsus rem possidet, b. fidei possessor sit? Resp. licet Dd. hinc inde contentio- nis serrâ in hac controversia trahant, attamen cum (1) ignorantia, etiam si juris sit, neque consensum, neque opinionem aut persuasionem ejus quod ignoratur, habeat, ideò malam fidem in ea hæere non posse dicimus arg. l. 3. §. 22. ff. de SCT. Sil. l. 38. §. 7. ff. ad L. Jul. de adult. (2) quia bonæ fidei possessor est qui illam rei alienæ quam possidet habet conscientiam l. 27. ff. de contr. empt. l. 3. ff. ad L. Fab. de plæg. Gædd. ad l. 109. de V. S. nu. 2. conscientia autem eo ipso, quòd quis ignorat, non læditur, vel læsa videri potest: unde nec mala fides erit. (3) Facit huc l. 25. §. 6. ff. de per. hered. l. 48. ff. de A. R. D. ubi dicitur eum, qui pupilli rem possidet, licet usucapere non possit, nihilominus b. fidei possessorem haberi l. 24. ff. de usuc. & l. 32. §. 1. ff. eod. ubi mala fides ab errore juris separatur. vid. Gædd. in comm. de V. S. ad leg. 109. numer. 5.

XV. Hæc autem ignorantia non præsumitur præsertim in actu geminato, & ubi adjecta est clausula: ex certa scientia *wissenschaftlich und wohlbedacht. Menoch. lib. 6. præf. 23. n. 14. & 17.* (nisi agatur de dolo excludendo & mala fide, tunc actus potius ignorantia juris, quàm dolo malaq; fide confectus præsumitur, vel quando de personæ alicujus persuasionem constat. *Menoch. d. l. n. 29.*) sed cuique nocet, maximè acquirere volenti, deq; lucro captando certanti l. 7. h. t. exempl. datum est in usucapione. l. 31. ff. de usuc. ratio hæc est, quia jus ignorantes proficientibus, cum sit finitum l. 2. h. t. & in medio positum, ut ab omnibus cognoscatur l. 9. C. de LL. habentur, & qui hoc non didicit, peritiores consulat l. 2. §. 2. ff. quis ord. in poss. nec melioris.

Horis conditionis esse debent stulti, & juris neglectores, ipsis peritis *l. 4. ff. quod vi aut clam.* vana igitur juris ignorantia ad exemplum vani timoris. Quid an quilibet jura scire præsumatur? Putat *Pinell. p. 1. l. 2. c. 2. nu. 31. C. de resc. vend. & A. Fabr. Jur. Pap. lib. 1. t. 1. pr. 2. Jll. 7.* quod sic. Sed repugnat hoc sensui communi, cum etiam qui docti habentur, & longo tempore juri operâ dederunt, vix ea, quæ juris sunt, assequi possunt; Procedit tamen *Dd.* opinio in dubio: tunc videlicet quisque jura scire præsumitur, quando vero liquidò constat, quem jus ignorare, cessat ista præsumptio: ut docet *Magn. Dn. D. Ungebaur p. t. Rector & Ordin. Præceptor & Patronus meus summè de- venerandus in pot. ad Wesenb. h. n. t.*

XVI. Sed quid de statutis, quæ etiam juris vim & auctoritatem obtinent, an illorum ignorantia excuset? Resp. cum facti sint, & in facto quoque consistant, probabiliter ignorari possunt *c. 1. de const. in 6.* nisi vel generalia alicujus provincie, (inter quæ primas obtinent Jura Saxonica quatenus usu forensi & cõsuetudine comprobata *Georg. Schulz. in proleg. Syn. Inst.*) vel vulgaria & notoria *c. cum venissent. de eo qui mitt. in poss. Coras. in explic. l. cum quis C. h. t.* in primis si ignorantiam præ-tendens forensis & novitius civis, qui quoad statuti ignorantiam æqui parantur *per tex. in l. qui cum uno. 4. in fin. ff. de re milit. l. 14. §. fin. vers. tyroni. eod. t.* ubi novo militi, tanquam leges militares justè ignoranti, parcitur *Gail. 2. obs. 48. nu. 28. & 29.* Modò illa præsumptio & exceptio ignorantie vel ex diuturna eo loci conversatione, vel aliis modis non elidatur *Dd. in l. cun-ctos populos C. de S. Tr.* Secus in antiquo cive, qui talem ignorantiam, cum turpe sit patricio viro ignorare jus, in quo versetur *l. 2. §. 43. ff. de O. J.* minimè allegare potest. *vid. Alder. Mascard. tr. de interpret. statut. concl. 6. n. 142. & seq.* qui multas addit limit. Quod dictum de statutis id quoq; ad consuetudinem inveteratam & rationabilem (quæ jus commune civitatis dicitur *Gail. 1. obs. 36. n. 13.*) & ad observantiam, quæ vim legis habet *Magn. Dn. D. Richt. p. 1. dec. 59. n. 23.* & cui interdum magis, quàm juri scripto inhaerendum. *Idem p. 1. dec. 18. num. 15.* extendimus, non etiam ad communem opinionem, ut vult *Coras. tr. Com. Opin. tit. 1. num. 9.* Cùm

XVII. Cum verò sapius ignorantiam juris culpæ adscribi dicatur Q. ad quem culp. gradum sit referenda? Resp. vel cum *Nob. Dn. D. Struv. disp. de dam. tb. 57.* dist. scil. inter jus, quod vel ea continet, quæ omnes illius Reip. subditi facile scire possunt & debent: hoc ignorans latæ culpæ reus est. *L. 2. C. h. t.* vel (2) proponit ea, quæ subditi quidem scire deberent, sed non nisi exactâ vel exactissimâ diligentiam cognosci possunt, & hujus ignorantia levi vel levissimæ adnumeratur; sunt enim hi ignorantés propterea in culpa, quod non consuluerint peritiores: vel (3) concernit ea, quæ intuitu alicuius certi hominis & conditionis, in qua ille positus est, cognosci ab ipso, adhibito studio, quale ab ejusmodi homine in tali statu exigitur, non poterat, & hæc ignorantia omninò excusat. Vel cum *Bachovio ad Treutl. 2. 2. disp. 4. tb. ult. Lit. B. Dist.* (1) Inter jus mere positivum per inductionem, & positivum per approbationem; vel inter jus quod meram habet rationem civilem, & quod ex principiis & rationibus J. G. defluxit, cujus ignorantia omninò latæ culpæ adscribenda. (2) inter jus promulgatum & certum, & inter jus indefinitum & dubium, consistens in opinionibus & disputationibus Dd. cujus posterioris ignorantia recte separatur à lata culpa, non autem prioris. In iis verò qui peritiam juris profitentur indistincte ignorantia pro lata culpa habenda, ex. gr. si iudex per imperitiam contra jus judicat *l. 2. ff. quod quisq. jur.* Quod tamen ad eum casum non est porrigendum, quo circa jus alicui factò singulari applicandum aliquid ignorat, aut circa circumstantias labitur & offendit *arg. l. 2. h. n. t.* sicut & artifices circa particularia imperitiâ labentes, culpæ quidem, sed non protinus latæ rei sunt. Ignoscendum etiam est tyronibus alicujus artis, si quid per imperitiam commiserunt, nisi iterato delinquant *arg. l. 3. §. 9. l. 4. S. fin. l. 14. S. l. ff. de re. milit. Add. Fachin. lib. 10. C. 7. c. 12.*

XVIII. Quod *tb. 15.* juris ignorantiam cuiq; nocere posuimus, id limitamus (1) in iuribus difficilioribus & reconditis *Berlich. p. 2. con. 22. n. 4.* cujus juris etiam beneficia fidejussoria, quorum vis unumquemq; facile latere potest, censentur, adeò ut fidejussores jisdem renunciantes prius certiori

C

rari

rari ac edoceri debeant *Carpz. p. 2. con. 17. def. 4.* Item in dubiis & minus frequentatis *Wesemb. ad h. n. t. n. fin.* (2) in damnis rei suæ amittendæ nemini in causâ civili obest *l. 3. b. t.* (etiamsi causâ esset lucrativa, modo originem à causâ onerosâ habeat, quia tunc non lucrum, sed potius onus censetur) hinc divisio errore juris facta non nocet, quo minus indebitè datum repeti queat, quia dividentes nihil acquirere, sed unusquisq; suam duntaxat portionem auferre videtur. *Gail. 2. obs. 139. n. 4. Carpz. p. 3. con. 15. def. 42.* addit & hoc *Zoes. in com. ad h. t. n. 7.* quod hæc ignorantia non sit sufficiens ad emendandæ rei meæ causâ. (3) Si peritiores consulendi copia non fuit *l. 9. §. 3. b. t. l. 10. ff. de bon. possi.* non enim debet huic imputari, qui cum vellet, facere non potuit *l. 17. §. 3. ff. de usur.* vel deniq; si ex alia justâ causâ jus ignoratum fuit *Wesemb. d. l. in fin.*

XIX. Excipiuntur etiam ipso jure non nullæ personæ quibus ignorantia juris non nocet, sed in quibus semper præsumitur, etiamsi in actu aliquo adjecta sit clausula ex certa scientia, quia eadem facilitate, quâ actum consiciendo se obligant, etiam in ipso eiusmodi clausulas apponi patiuntur *Menob. lib. 6. pr. af. 23. n. 2.* nisi actum fecerint clandestinum, tunc is non ignoranter, sed scienter factus præsumitur. *Plot. de in lit. jur. §. 4. n. 5.* quia factum clandestinum aliàs dolo perfectum præsumitur. *l. 68. ff. de R. N.* Inter illas autem personas MINOR 25. an. primas obtinet, cui ignorantia juris in damnis vitandis, & in lucris captandis prodest *l. 9. b. t. l. 11. C. b. t. l. 8. C. de integ. rest. min. ex. gr. si minor 25. an. filiofamilias crediderit, subvenitur ei, ut non videatur filiofam. credidisse l. 9. b. t. si indebitum errore juris solvit, repetitionem habet. l. 2. C. si advers. solut. à tut. & c.* ratio potissima sita est in infirmitate consilii, multis captionibus suppositi *l. 1. ff. de minor.* ad eò ut sine tutore vel curatore agens nihil scire intelligatur *l. ult. b. t.* Si verò minor est J. Doctor, cessat illa præsumtio & excusatio, & licet læsus sit ex contractibus, in integrum non restituitur *l. 9. §. 3. ff. b. t. Disfent. Fachin. lib. 3. C. f. cap. 5.*

XX. MILES (2) cui eadem juris ignorantia & in damnis vitandis, & lucro captando prodest *l. 9. §. 1. b. t.* sic licet indebitum

bitum errore juris solvit, repetit illud *Harpr. ad §. i. ff. quib. mod. re contr. n. 73. Et seq.* item licet exceptiones ob simplicitatem armatae militiae omiserit, denuo illas opponere potest *l. i. C. h. n. t.* quia arma magis, quam jura militibus scire convenit *l. 22. C. de jur. delib.* imò Reip. interest, ne alio studio à militia sua avocentur *l. 13. ff. de re mil. & per occupationes militares quid leges precipiant, otium non est cognoscere l. fin. C. de jur. delib. nec integrum consulere peritiores. Procedit hoc etiam si juris periti militent, quia nondum omnis cessat ratio. In otiosis verò limitaneis & stationariis militibus cum cessat ratio, legem quoque arbitramur, cum *Coras. in miscell. p. 2. ad l. i. C. b. t.**

XXI. RUSTICUS (3) cui ignorantia juris tantum in damnis vitandis prodest *l. 3. C. qui admitti Et c. l. 3. §. 22. ff. ad SCI. Sill.* Huic enim propter simplicitatem *l. 2. ff. in fin. de jur. Fiscal.* antiquis legibus & à diversis retrò principibus semper consultum fuit, & in multis LL. stricta subtilitatum observatio remissa *l. 31. pr. C. de testam.* unde etiam innocens & quietata *l. 3. C. de defens. civit.* vocatur rusticitas (quæ tamen hodiernis temporibus nigro cygno est simillima, per ea, quæ tradit *Menoch. de A. J. Q. cas. 149. in pr.*) & æque ac mulier de suis beneficiis certiorandus rusticus *Gail. 2. obs. 77. n. 4.* aliàs iis renunciare non censetur, nisi juraverit, quia tunc contra juratum contractum venire velle, est contra stimulum calcitrare *Hering. tr. de fidejuss. c. 8. n. no. Et seq.* Non tamen (1) excusantur rustici si jus civile notorium ignorent, vel ubi lex scripta speciatim illorum meminit, quos utiq; cum aliis comprehendi voluerit ut *l. 7. C. unde Vi. Schneid. ad §. i. ff. de vi bon. rapt.* quod & in muliere obtinet. (2) In his, quæ ad rigorem juris conservandum statuta sunt, ex. gr. si ab emphyteuta tribus statis pensionis solvendæ temporibus cessatum fuit, locus est legi commissoriæ, à qua restitutio in integrum non datur. *Accurs. in l. juris C. qui admitti.* (3) In his quæ ad formalem actus substantiam ex. gr. si rusticus in condito testamento non observaverit solennia, testamentum nullum erit; vel quæ ad judiciarii ordinis substantiam pertinent, ex. gr. si intra præfixum terminum probationes non produxerit, licet per ignorantiam factum, attamen sibi præjudicat,

dicat, nisi peritorum consilium obtinere non poterit, quo casu restitutionem in integrum adversus lapsum temporis impetrare potest *Mynscent. 6. obs. 47.* Alias cause rusticorum summarie tractari debent *Nov. 80. c. 1. l. 1. C. de agr. & cen.* in processu autem summarie cum juris positivi solennitates sublatae censeantur *Carpz. lib. 6. t. 10. resp. 122.* ideo earum ignorantia rustico non nocet. (4) In conventionibus Jure Gen. institutis, licet inconsultam ipsius facilitate celebratis, quia Jus Gentium omnibus innotescere, nec ab ullo ignorari debet. *Tiraquell. in tr. de retr. conv. §. 4. gl. 7. vers. 18.* (5) Si urbi vicini, quam ipsi peritiores consulturi, adire possunt, degant, & ut tritum sonat proverbium: sicuti rusticos nemora pro lignis, ita civitates pro consiliis petere oportere. (6) In delictis poenalibus nulla obtendi potest rusticis excusatio vide plurib. *Renat. Choppin tr. de priv. rustic. c. 5. per tot.* Rusticis quodammodo Mercatores, sine quibus mundus, ob publicum commodum quod ex commerciis augetur, vivere non potest. *Latber. de cons. lib. 3. c. 12. numer. 34.* æquiparantur, ideo nec illis juris positivi ignorantia facile præjudicare potest, cum non multum de apicibus juris disceptetur, sed omnia ex bono & æquo inter eos decidantur. *Carpz. p. 1. con. 2. def. 10 n. 3.* Unde & eorum causa summarie tractantur *Zang. de Exc. p. 1. c. 1. n. 60.* & libellus non adeo accuratus requiritur, sed etiam alternativus & generalis inter ipsos admittitur. *Carpz. d. l.* imò & post publicatas attestaciones, non vi testes & probationes recipi solent. *Berlich. p. 1. con. 40. n. 33.*

XXII. MULIER (4) cui propter sexus imbecillitatem *l. 9. h. t. judicij;* fragillitatem *l. 2. §. verba ff. ad SCT. Vell.* tantum in damnis vitandis ignorantia juris proest *l. 9. pr. h. t. l. ult. C. h. t. l. 10. ff. de pon. bon.* ex. gr. si mulier ignorantia juris actiones suas potentiori cedat, *l. 2. C. ne liceat potent.* locum non habet, sed firma manet cessio, licet etiam peritiores consulere poterit; quod etiam ad omnes miserabiles personas extendit *Magnif. Dn. D. Richt. p. 1. dec. 36. nu. 9. & 10.* Strictior autem est in mulieribus excusatio, quia foeminis & rusticis non ea consilia imbecillitas, quæ minoribus, non is favor qui militibus. Quibusdam tamen in casibus foeminis hæc ignorantia etiam in compen-

compendiis prodest ex. gr. mulieri poena falsi; quæ per ignorantiam juris sibi legatum scripserat, remittitur *l. 15. §. 5. ff. ad L. Corn. de fals.* similis casus est in *l. 2. §. 7. ff. de jur. Fife. §. l. i. §. 10. ff. ad SCT. Turpill.* Quæ in *limit. 3. th. præc.* dicta, eadem etiam quoad mulierum testamenta & processus observanda *dymsing. cent. 6. obs. 47.*

XXIII. Fuit ignorantia distinctim quoad singulas species considerata, nunc eam conjunctim quoad delicta & probationem consideraturi sumus. Circa delicta, distinguimus inter ea, quæ jure Naturæ & Gentium prohibita, ut est stuprum, adulterium incestus juris Gentium, furtum, & similia sine doli mentione simpliciter prohibita delicta, in quibus nulla ignorantia venia quoad impunitatem largitur, cum juris Naturalis & Gentium ignorantia omnem respuant excusationem, & multum Reip. interfit, ne delicta maneat impunita *l. 51. §. 2. ff. ad L. Aquil.* licet quandoq; propter ignorantiam poena mitigari possit *l. 16. §. 3. ff. de pæn.* Et ea quæ Jure Civili prohibita, quorum prohibitio non omnibus cognita, ut sunt nuptiarum contractus intra tempora luctus, incestus juris civilis &c. in quibus fœminis, minoribus & rusticis quodammodo immunitas poenæ conceditur. Sic ignorantia juris civilis excusat à poena ordinaria incestus *Carpz. p. 4. c. 23. def. 6.* operaturq; ut liberi ex illegitimo matrimonio nati sint legitimi & sui hæredes *Gail. 2. obs. 48. num. 6.* item rusticus, qui per imperitiam album prætoris corrumpit, excusatur à poena albi corrupti *l. 7. §. doli ff. de juris d.* (2) si in jus vocatus non pareat *l. 2. ff. si quis in jus voc.* vel jura & actiones, quamvis à judice jussus sit, non edidit. *l. 1. §. ult. ff. de eden.* (3) si propria confessione se detulit in fiscum *l. 2. §. ult. ff. de jur. fisc.* vel tabulas testamenti aperuit *l. 3. §. 21. ff. de SCT. Sillan.* extra hos casus, à legibus specialiter comprehensos, rusticis propter ignorantiam juris non subvenitur. *Mench. de A. J. Q. cas. 149.* Vidimus quatenus ignorantia juris excuset in delictis, videndum nunc quoque quatenus ignorantia facti, circa quam tres casus distinguimus: aut (1) quis dedit operam rebus illicitis, quas vitare dedebat, & tunc præter intentionem alterum lædens vel

occidens, nec à culpa, nec poena est immunis ex. gr. si quis
velit Titium occidere, Cajum per ignorantiam exanimet, or-
dinarie puniendus. *Carpz. p. 4. consl. 6. def. 1.* quia dolus malus
& animus occidendi sufficit. *l. 7. ff. ad L. Corn. de sicar.* Item si
quis per talem ebrietatem, quæ usu rationis privat, & dolum
in delicto, non vero culpam tollit, ignorans quem occidat,
(quæ enim sobrii cavemus, per ebrietatem ignorantes com-
mittimus *c. sanè 7. caus. 15. qu. 1.*) poenâ extraordinariâ plecti-
tur, requiritur tamen ut delinquentem postea admitti pœni-
teat; nec quasi de re bene gesta gloriando istud ratum habeat
Petr. Theod. Coll. Cri. disput. 10. tb. 4. l. 1. si vero quis ex habitu &
consuetudine sciens prudensq; inebriatur, peccat mortaliter
maximè si ebrius consueverit esse rixosus, sciatq; se tali vitio
laborare, tunc quippe homicidium non excusat, sed magis il-
lud aggravat *Gail. 2. obs. 110. n. 28. & 29. Seb. Medic. de cas. fort.*
part. 2. q. 5. n. 42. (2) vel navat quis operam rebus licitis, sed nõ
adhibet debitam diligentiam & inquisitionem ex. gr. Si medi-
cus per ignorantiam noxium pharmacum ægroto exhibet sine
dolo, extra ordinem punitur *Gail. 2. obs. 111. n. 27.* Excusat etiam
ignorantia delinquentes in crimine bigamiæ à poena ordina-
ria, quia dolo carent, adulterium autem absq; dolo non com-
mittitur *l. pen. ff. ad L. Jul. de adult.* quo casu tamen pro primo
matrimonio pronunciandum *Carpz. tit. 9. lib. 6. resp. 89.* item si
putator ramum dejiciens non proclamavit, & hominem oc-
cidit, & sic culpa casum præcessit, sicut & quando quis rem a-
liàs licitam in loco convenienti non peragit. (3) aut occupa-
tus est quis in rebus licitis, & debitam adhibet diligentiam, lo-
cumq; convenientem: hic si inopinatò damnum det, nullius
culpæ reus, sed refertur id damnum ad casum fortuitum, &
ut eleganter dicit *l. 1. C. ad L. Corn. de sicar.* ea quæ ex improvi-
so casu potius, quàm fraude accidunt, fato plerumq; non no-
xæ imputantur. *Nobiliss. Dn. D. Struv. præl. disp. de damn. tb. 65.*
Gail. 2. obs. 110. n. 38. Quæritur circa hanc thesin, si lex quidem
sciatur sive naturalis sive humana, non tamen sufficienter poe-
na ei proposita, an illa ignorantia, si contra LL. peccatum fue-
rit, excuset? Respon. N. eò quòd ignorantia non sit, quod
facit

facit ad malitiam actus, cum non sit circa delictum, quod quis
scit & scire debet esse prohibitum; sed circa poenam, quæ est
consequens delicti, ac proinde volens antecedens, consequens
etiam velle videtur. *Zoes. in com. ad b. t. n. 5.*

XXIV. Cum maxima vis ignorantia in probatione
consistat, brevibus quoque in illam inquiremus. Probari au-
tem potest ignorantia per varias conjecturas & præsumptio-
nes, *c. si qui 108. caus. 1. qu. 1.* ex his una est absentia, vel alia ju-
sta causa de quibus *ib. 5. & 12.* dictum (2) Eo ipso, quo non
probatum contrarium *l. 21. ff. de probat.* quamvis hæc plena pro-
batio non sit. *Mascard. de probat. v. 2. con. 880. n. 1.* Optime ta-
men per juramentum, quod deficientibus conjecturis, igno-
rantiam alleganti, à judice defertur, quo conscientiam suam
ab omni scientia purget *c. nulli 8. de elect. in 6. c. pastoralis 4. de
except.* (licet etiam præsumptio militet in contrarium, dum-
modo talis non sit omnino concludens *Mascard. d. l. num. 9.*)
quia ignorantia in animo offerentis consistit, adeoque ex nu-
mero eorum, quæ juramento probantur *Carpzov. p. 1. con. 22.
d. 6. Gail. 2. obs. 48. num. 24.* ex. gr. Forensis per aliquem locum
transiens, & vectigal mercium suarum ex ignorantia non sol-
vens, liberat eas à commisso, si jurare, se nescivisse ibi vectigal
aliquod solvendum esse, paratus sit, (juvatur autem ejus igno-
rantia, si vectigal sit insolidum vel novum, quo casu ad poe-
nam dupli eum teneri vult *Rosenth. de feud. c. 5. con. 37.*) Idem
obtinet in vasallo feudi vacantis ignorantiam allegante, & si
ad juramentum non admittatur, recte appellat. *Mascard. d. l.
num. 8. Gail. 2. observ. 48. num. 25.* Limitamus tamen, ut igno-
rantia probatio per juramentum tunc non admittatur quan-
do (1) petitur restitutio in integrum adversus præscriptionem
longissimi temporis *Cravert. in tract. de antiq. temp. in 4. parte
verb. mater. ista. num. 62.* (2) quando aliquid est publice no-
tum, agitur de præjudicio tertii, vel habeat quis notitiam ali-
cujus partis ipsius rei, de qua ignorantia prædicitur, adeo ut nõ
sit verisimilis, vel præsumptio in contrarium, vel adversarius
per legitimas probationes contrarium probare conetur. vid.
Mascard. d. l. num. 11. 12. 13. & seq. Et hæc non quidem pro mi-
tertia

teria hujus dignitate, sed ingenioli mei tenuitate ex confusa ignorantia materia rudi Minervâ delibata sufficiant. Tu Benevole Lector, si me ex juris ignorantia humani quid passum fuisse offendas, candido velim corrigas animo. Nunc in Nomine Jesu à quo incœpi, etiam

FINIO.

Ignorantia quæ Facti, quæ Juris. Amice,
Differis egregiè, laudis amore flagrans.
Discutis hinc rectè tenebras, quæ sæpè labantes
Falluntur Mentis justitiæ Procerum.
Macte animo docto, Themis ipso tempora lauru
Cinctum, si pergis, tum super æthra feret.

*Amoris ac benevolentia ergo
img. appof.*

FRIDERICUS HOFFMANNUS
Hal-Sax. Medic. Lic.

^{1.}
Weg also bald / weg weg von hier
Unwissenheit du stolzes Zier /
Mit deinen herben Leiden /
Es zeigt uns mein Freund in an
Wie man durch steten Fleiß dich kan
Geruhfamlich vermeiden.

^{2.}
Nun wobl ich lobe deinen Sinn
Denn du stets richrest ganz dahin /
Daß du was mögest wissen /
Es wird davor die Themis dir
Berehren die verdiente Zier
Und einsten lieblich küßten.

^{3.}
Mich daucht sie selbst den wendet sich /
Von ihren Throne daß sie dich /
Mög ich nur umfangen
Mein Halle lachet freundlich schon
Weil du ihr wobl erzogner Sohn /
Unwissenheit entgangen.

^{4.}
Nun fahre fort wie du hier gehst
Bis du den rechten Lohn empfahst
Dem dir die Themis zeiget
Und bleib auch allezeit so mir
Gewogen / wie ich bleibe dir /
Dis sich der Himmel neiget.

Auß schuldiger Freundschaft
sunge solches

Melchior Kadel von Hal.

SOLI DEO GLORIA.

94 A 7360

94 A 7360

ULB Halle

3

002 381 974



56.

V. 17

A Spiritu sancto et ceperunt loqui ali
os omnes et omnia que in
hymnum dicte deo attribuunt. Finis



DISPUTATIO JURIDICA
DE
IGNORANTIA,

QUAM
AUXILIANTE DIVINO NUMINE,
CONSENTIENTE

*Magnifico & Nobilissimo Jctorum Ordine
in incluta Salana,*

PRÆSIDENTE
VIRO

Amplissimo, Consultissimo, Excellentissimo

DN. ERNESTO FRIDERICO
SCHRÖTERO, J. U. D. Celeberrimo, Curiz
Provincialis Saxonicz Advocato dignissimo, Præceptore, Pa-
trono & Hospite suo omni observanciz cultu æter-
nùm prosequendo,

Publicè ventilandam proponit

FRIDERICUS ERNESTUS Knorr/
Hal. Sax.

In Auditorio Jctorum

Ad diem Julii.

J E N Æ

LITERIS STEINMANNIANIS

Excudebat CHRISTIANUS LAURENTIUS Kempff.

ANNO 1652.